

Baius docens cum caritate posse simul consistere statum peccati. Eam vero docuit diserte Iansenius locis citatis; et quod praecipuum est, ea argumenta, eae auctoritates sive ex Scriptura sive ex Augustino, eae interpretationes Concilii Tridentini, quae a defensoribus illius sententiae deinceps sunt prolata, reperiuntur praecipua quidem et fundamentalia penes Iansenium. Nolumus tamen dicere doctrinam esse haeticam; non enim quidquid Iansenius docuit, fuit a S. Sede damnatum: factum tantummodo historice indicamus. Eadem sententia propagari cepit et disseminari simul ac Iansenianismus propagatus est et dilatatus, fuitque probata iis omnibus, qui Iansenio favebant, quamquam et aliis placuerit, iisque primum in locis caput erexit ubi Baianismus et Iansenianismus fixerat radices. Inter praecipuos propugnatores post Iansenium illius sententiae fuere Ioannes Neercassel Episcopus Castoriensis, Ioannes Opstraet, Macarius Havermans, qui, sicut Arnaldus exaggeraverat obligationem caritatis pro suscipiendo Sacramento Eucharistiae, ita illi eandem exaggerarunt pro Sacramento Poenitentiae. Episcopus vero Castoriensis Arnaldum ducem factionis Iansenianae exulemque ad se invitavit et hospitio excepit, facultate ei facta doctrinam Augustini Iprensis in sua Dioecesi propagandi; eumque *Santissimum virum* in suis epistolis appellabat. Ceteri doctrinas tradiderunt circa gratiam, libertatem, obedientiamque debitam Romano Pontifici, quantum a Iansenianis fas est expectare (Cf. Francolini De Dolore L. I. c. 10). Anno MDCCII lucem vidit in Galliis celebris ille *Casus conscientiae* subscriptus a quadraginta doctoribus Sorbonicis favens Iansenianis eorumque technis et erroribus; quem publica opinio putavit in eum finem fuisse a factione Ianseniana editum ut labefactarentur omnia, quae contra ipsam eo usque peracta fuerant. Porro inter doctrinas haud dubie proprias illius factionis haec exstabat quoque tertio capite: « Is (poenitens) credit nos obligatos esse ad amandum Deum super omnia et ad referendum in eum omnes nostras actiones: unde concludit actiones, quae non fiant ex impressione alicuius motus amoris Dei, esse peccata propter defectum finis boni et iusti ». Atque haec quarto loco « Is putat attritionem debere includere initium amoris Dei super omnia, ut sit dispositio sufficiens pro obtinenda remissione peccatorum in Sacramento Poenitentiae. » Doctrina autem eo *Casu* contenta et approbata a tot Sorbonicis, damnata statim fuit a Romano Pontifice Clemente XI. Brevi dato ad Episcopum Parisiensem Cardinalem De Noailles anno MDCCIII; idemque Romanus Pontifex eodem anno, Brevi dato ad Ludovicum XIV Regem Galliarum, audivisse se, ait « libellum quemdam prodiisse, cui titulus *Cas de conscience proposé par un confesseur* etc. quo sane plura per-

niciosa doctrinae capita, erroresque damnati revocantur in lucem; et ipsa etiam haeretica Iansenii dogmata non obscure foventur, ne dum editae olim pro iis omnino abolendis Apostolicae Constitutiones captiosis subtilitatibus eluduntur ». Opus erat ergo Iansenianum. Itaque liquet inter suae doctrinae capita, quae sarta tecta vellent Ianseniani, illud quoque exstare de insufficientia attritionis sine amore Dei super omnia. Iansenianismi fastigium hac in re attigerunt Pistorienses, « Doctrina Synodi (ait Pius VI. prop. 36), qua subdit *suppositias conversiones, quae fiant per attritionem, nec efficaces esse solere nec curabiles, consequenter pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos poenitentes ad Sacramenta: quae signa, ut deinde tradit, pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis: quem insuper fervorem caritatis perhibet velut dispositionem, quae debet praecedere absolutionem; sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae iuncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis iustitiae fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur ut homo ad Sacramenta et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur; falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciae detrahens et iniuriosa. » Satis ergo constat quanam origo sit, quanam propagationis causa huius sententiae, quae labente sensim Iansenianismo videtur et ipsa sensim sine sensu interciderere.*

Conferendi in hac quaestione de Attritione, praeter Doctores Scolasticos saepe citatos, Francolini De Dolore ad Sacram. Poenit. necessario et Comes Iosephus Benaglio dell' Attrizione etc. Volume 2º.

PARERGON

Quaestio duplex institui potest: 1º de attritione existimata, an ea sufficiat in Sacramento, quam quaestionem agit Suarez D. xx. partem negantem acerrime defendens: 2º de Sacramento poenitentiae informi. Igitur quoad priorem videndum quid sit attritio existimata sive quid eam nominantes intelligamus, et an sit possibilis, tum deinde an cum Sacramento censenda sit sufficiens.

I. Quaestio prima. Attritio existimata est ea quae poenitenti bona fide videtur vera attritio, reapse tamen non est talis. Huius no-

tio colligenda est ex notione contritionis existimatae, mutato motivo actus. Contritio scilicet existimata vel est detestatio peccati, quam quis elicit ex amore Dei, at non est in se reapse efficax aut super omnia, bona fide tamen censetur talis, quo in conceptu nulla est difficultas: vel est detestatio peccati cum respectu ad Deum quatenus vere displiceat offensa Dei, ita tamen ut motivum displicentiae utique efficacis non sit proprie Deus, bona fide tamen putet poenitens se propter Deum dolere. Huius alterius conceptum supeditat nobis Dominicus Soto in 4^o. D. XVII. q. 1. a. 1. Nam distincta contritione, « quae est dolor propter Deum, seu de offensa Dei » ab attritione, « quae est dolor propter poenas inferni aut alias temporales », subdit: « Iam supra de attritione distinximus quod una sit existimata contritio, quando scilicet quis fecit diligentiam, quae arbitrio prudentis videatur sufficere ut bona fide putet se dolere propter Deum. Et haec sufficit ut homo per Sacramentum fiat ex attrito contritus ». . . . dummodo dolor iudicio suo appareat esse de offensa Dei et sit attritio existimata contritio: nam qui tantum dolet propter infernum, non dolet de peccatis, quatenus offensa Dei sunt ». Itaque ratione habita prioris modi contritionis existimatae, dicimus quod attritio existimata est detestatio peccati concepta ex metu poenarum vel turpitudine peccati, quae reapse non est super omnia mala, quae concurrere possunt cum peccato, bona fide tamen reputatur a poenitente talis. Vel est quidem detestatio aliqua peccati, sed reapse potius est velleitas quam voluntas absoluta, coniuncta tamen cum absoluto iudicio libere posito quod peccatum odio sit dignum ac vitandum, qui actus mentis (quo solemus actus voluntatis exprimere) pro ipso actu voluntatis accipiatur detestantis absolute peccatum. In hoc poenitente proinde, qui bona fide se existimat attritum, quamvis non adsit actus attritionis qualis oportet, non tamen deest omne elementum attritionis, eiusque species. Habetur enim metus e. g. gehennae, habetur detestatio quaedam peccati, vel saltem iudicium sponte et libere positum quod offensa Dei sit malum detestabile et cavendum, quocum iudicio actus quidam odii detestationis peccati nequit non esse coniunctus; habetur quoddam propositum non peccandi, licet in se non satis efficax et super omnia, et exclusa est certe positiva volitio peccandi. Ita non raro contingere arbitramur in iis poenitentibus, qui ex fragilitate frequenter labuntur. Quandoquidem loquimur de attritione, quae bona fide existimetur talis, supponimus ignorantiam invincibilem: ignorantia vero quae supponitur, non versatur circa ius sed circa factum. Nimirum loquimur de eo, qui sciens dolendum esse de peccato, se excitat ad dolorem, non de illo, qui e. g. errore iuris putaret attritionem re-

quisitam non esse nisi voluntatem confitendi, nec ullo modo cogitaret de dolore.

Ratione vero habita alterius modi contritionis existimatae, attritio existimata ea esset, qua quis censeret quidem bona fide se dolere de offensa Dei propter poenas, quas Deus infligit, sed vel reapse non ei displiceret offensa Dei, sed aliquid in peccato, vel non doleat propter poenas, quas Deus minatur, sed, puta, propter ignominiam mundanam.

II. Quaeritur primo utrum haec hypothesis attritionis existimatae sit possibilis. Non videtur negandum propter argumenta tum extrinseca tum intrinseca. Extrinsecum est, quia possibilis reputata fuit semper hypothesis contritionis existimatae; porro eadem ratio, quae ostendit huius possibilitatem, valet quoque in attritione existimata; diversitas namque motivi se habet prorsus indifferenter quoad hunc effectum. Argumentum intrinsecum petitur ex conditione propria actuum internorum nostrorum, qui quoad essentiam seu naturam suam non sunt nobis immediato intuitu manifesti; unde contingit quod identidem fallamur inculpabiliter circa proprietates vel accidentia ipsorum: et ex hoc quoque petitur ratio cur certitudo nobis desit an simus in statu gratiae, quia nempe certi non sumus num actus nostri fuerint quales esse oportet, etsi certi simus quod gratia Dei nunquam deest: et ex hoc quoque procedit quod deinceps dubia exoriantur in nobis, an actus nostri praecedentes fuerint reapse tales, quales olim censebamus. Haec scilicet arguunt esse in natura situm actuum nostrorum ut possint non esse tales, quales bona fide censemus esse. . . . Idem ergo et in actu attritionis poterit contingere. Sunt praeterea qui censuerint attritionem existimatam sufficere; atque haec sententia a Suaresio tribuitur Cano Relect. de Poenit. p. V. et Vega 4. XIII in Trident. c. His autem argumentis innixi videntur qui eam defendunt.

1^o. est. Sententia veterum haud paucorum fuit sufficere contritionem existimatam; ergo et sufficit attritio existimata. Sane si consequentiam negas, negas propter discrimen quod intercedit inter contritionem et attritionem: atqui ad hanc quaestionem quod spectat nullum est saltem essenziale discrimen. Etenim vel discrimen consideras ratione motivi, vel ratione efficaciae excludendi voluntatem peccati. Atqui adest quidem discrimen ratione motivi, sed hoc discrimen ad rem nostram nihil facit; nam ea praestantia, quae inest contritione prae attritione propter motivum nobilius, non est necessaria in actibus suscepturi Sacramentum: scilicet quod potest contritio in ordine ad Sacramentum potest pariter attritio; ergo quoad hoc non est essenziale discrimen inter utramque. Iam si spectas efficaciam excludendi voluntatem

peccati, nullum est inter utramque essentielle discrimen. Sane contritio existimata, si prout est in se spectetur, ea est quae non est efficax vel super omnia; quae vero huiusmodi est, reapse, si vis eius spectetur, non excludit ex se voluntatem peccandi, saltem quoad omnia peccata in qualibet hypothese, et potest esse talis ut neque valeat ex se excludere voluntatem peccandi in hypothese malorum, quae concurrere possunt cum peccato. Porro eadem est ratio efficaciae attritionis existimatae; imo fieri potest ut, licet non sufficienter, magis tamen removeatur a peccato quis ex metu, quam ex amore, et sic magis accedat ad rationem efficaciae et ad excessum super omnia attritio existimata quam contritio existimata: Ergo ea consequentia bona est. Iam vero sententia veterum de sufficientia contritionis existimatae nequit dici improbata ullo Ecclesiae decreto.

2^m. utcumque colligitur ex natura propria huius sacramenti. Tenendum est enim Sacramenti huius institutionem fuisse beneficium a Deo fidelibus praestitum, quo faciliore via reconciliationem cum Deo assequerentur; quod proinde suppleret defectum contritionis iustificantis, et ideo ipsum ex opere operato conferret gratiam, quam merita poenitentis ex se consequi non valent. Iam vero quemadmodum certum est ex tali natura sacramenti excludi necessitatem perfectae contritionis et sufficere attritionem, ita probabile est sufficere attritionem existimatam. Etenim ex una parte haec est quaedam poenitentia licet incompleta; non potest autem ab homine postulari nisi hoc quod bona fide censeat se esse attritum, ex altera parte vis sacramentalis eo spectat ut suppleat defectus perfectae poenitentiae, ipsumque Sacramentum secundum modum humanum administrandum est: ergo probabile est Sacramentum supplere quoque defectum verae attritionis, cum poenitens secundum notitiam, quam habere potest, censet rationabiliter se esse attritum.

Ita plenius intelligitur quam verum sit beneficium maximum collatum esse a Deo fidelibus institutione huius sacramenti, utique fidelibus, qui sint bonae voluntatis, cuiusmodi sunt ii, qui cum se ad dolorem excitaverint, censent rationabiliter se esse attritos.

IV. Nihilominus nimis efficacia videntur argumenta sententiae oppositae, quae communior profecto est. Ea proferuntur a Suaresio l. c. Sect. 2^a. Primum est, quia attritio non solum requiritur ut praecepta, sed etiam ut medium necessarium ad iustitiam, ea scilicet ratione, qua nonnulla poenitentia peccatorum vera et supernaturalis necessaria est ad eorum remissionem: sed in his, quae sunt necessaria necessitate medii, non sufficit ad salutem eorum existimatio, si ipsa revera non adhibeantur: quid enim proderit peccatori qui existimet se vere absolvi a sacerdote, si revera ille non est sa-

cerdos aut non habet intentionem vel iurisdictionem? sic ergo nihil proderit existimatio attritionis, si in re non existat; quia non est minus necessaria attritio ad hunc effectum quam absolutio ad suum, et alia media necessaria ad salutem». Alterum deducitur ex Conc. Florentino et Tridentino dicentibus simpliciter dolorem seu contritionem vel attritionem esse partem et dispositionem necessariam in hoc sacramento, ideoque loquentibus de vero dolore; porro attritio existimata non est vera attritio et dolor, sicut homo pictus non est vere homo. Tertio attritio existimata non excludit vere voluntatem peccandi, exclusionem nempe quae sit ab ipsa attritione: atqui talem attritionem exigit Tridentina Synodus: ergo. Quarto, quia alias quando Concilium dicit contritionem fuisse omni tempore necessariam ad remissionem peccati, posset exponi de contritione vera vel existimata, et consequenter dici posset iustificari hominem extra Sacramentum per contritionem existimatam, quamvis in re vera non esset, quod est dictu absurdissimum.

Nobis non suppetit probabilis responsio his omnibus argumentis. Itaque cum Deus intueatur cor, si vere deest sufficiens conversio, quae nequit certe deesse ob defectum gratiae divinae, non est cur censeamus Deum hominem talem reconciliare sibi. Ceterum si homo facit quantum potest, confidere profecto licet quod in ipso actu confessionis perficietur eius attritio, ut vere sit qualis existimatur.

V. Altera quaestio. Sacramentum validum quidem, informe tamen, tunc dicitur esse, cum tota essentia Sacramenti existit, non producit tamen effectum propter fictionem suscipientis, recedente autem fictione tunc tandem producit. Id videre est in Sacramentis conferentibus characterem quoad effectum gratiae sanctificantis. Quaeritur an Sacramentum Poenitentiae quoque possit aliquando esse informe. Non una in hypothese id fieri posse censuerunt veteres theologi (confer Canum Relect. de Poenit. et Lugum D. XIV. Sect. 6). Modo theologi sunt temperantiores. Et sane Sacramento informitas accidere non potest propter defectum ex parte iurisdictionis vel formae, si enim alterutra desit, nihil fit: Sacramentum autem, quod non existit, nunquam valere potest. Restat ergo ut, si informe esse possit, id ei contingat ex parte materiae. At ex parte confessionis nequit id contingere; vel enim est integra formaliter, vel non: si non est, peccatur, nec Sacramentum fit, cum claves nihil operentur in indignum, sed fit sacrilegium: si est, fit Sacramentum et statim valet. Multo minus id contingere potest ex parte satisfactionis, quae non est pars essentialis Sacramento. Reliquum est ergo, ut, si informe Sacramentum esse potest, id ei contingat ex parte doloris. Verum si dolor sit contritio et haec licet existimata sit tamen attritio, ne-

gandum est tunc Sacramentum esse informe; attritio enim sufficit pro assequendo effectu Sacramenti.

Si autem nec vera attritio sit, negandum est, iuxta modo dicta, Sacramentum posse esse validum et tamen informe; in hypothesi praesertim quod actus poenitentis non sint tantum dispositio sed pars essentialis Sacramenti. Itaque vel erit vera attritio, et existentibus aliis elementis necessariis, quae supponuntur, habebitur quidem Sacramentum validum, sed simul statim etiam efficax: si desit autem vera attritio, deficiente parte vel dispositione essentiali Sacramenti, nullum Sacramentum erit.

VI. Suarez tamen D. XX. §. 5. cui consentit Lugus D. XIV. S. 6°. aliam excogitavit rationem, qua fieri posset, ut defectu doloris Sacramentum validum quidem esset, attamen informe. Nimirum hypothesis fiat quod quis duo vel plura habeat peccata specie diversa, obliviscatur vero unius, eliciatque dolorem de altero ex motivo speciali ipsius: nempe detestetur peccatum ex consideratione turpitudinis propriae ipsius, puta fornicationis, quod motivum non se extendat ad aliud peccatum prorsus diversum puta furti. Huiusmodi poenitens peccati alterius oblitus confessionem facit formaliter integram, verum dolorem affert, absolutio ei confertur, habentur ergo omnia elementa essentialia Sacramenti: Sacramentum igitur existit. Actu tamen effectum suum non producit, quia non retractato per contritionem alio peccato, non est remotus integre obex gratiae: cum vero vel memoria occurrente illius peccati, illud poenitens detestabitur, vel eliciet actum doloris ex motivo universali, quod et illud quoque licet ignotum comprehendat, tunc removebitur obex et effectus Sacramenti obtinebitur.

Verum non satis liquet hunc casum possibilem esse. Nam quid sit de iis motivis particularibus doloris, certum est contritionem debere esse huiusmodi, ut contineat saltem virtualiter propositum universale non amplius peccandi, h. e. non solum non patrandi amplius peccata olim commissa, sed nulla peccata; et sic excludat voluntatem peccandi. Voluntas enim peccandi excludenda est ab ipsa attritione, ut monet ipse Suarez, cum de ea disputat et cum negat sufficere attritionem existimatam. Quocirca quaerimus: poenitens ille habet, an non, propositum universale? si non habet, deest vera contritio, scilicet pars essentialis Sacramenti, et nihil fit: si habet, necesse est ut habeat etiam odium ad omnia peccata, quod quidem et ad peccata admissa naturaliter se extendit: hoc autem odium sine aliquo motivo extendente se ad omnia peccata esse nequit: si autem est tale motivum, dolor eius non est tantum ex aliquo motivo speciali, q. e. d. Cf. tamen, quae his opponit Lugus l. c.

ARTICULUS II.

DE CONFESSIONE.

THESIS XXXIII.

Ex institutione Sacramenti Poenitentiae, quemadmodum eam universa Ecclesia semper merito intellexit, sequitur institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis ipsam iure divino necessariam existere (Trid. Syn. Sess. XIV. cp. 5).

I. Probavimus Th. X. necesse esse ut fideles peccatores pro obtinenda venia subiiciant se clavium potestati. Nunc declarandum est distincte, in quo posita sit haec subiectio, quinam nempe sit actus, quo debet poenitens se subiicere illi potestati. Porro hic est *Confessio*. Definitur confessio: *Accusatio suorum peccatorum, ad eorum veniam obtinendam, Sacerdoti potestatem habenti facta*. Confessio ergo non est historica narratio peccatorum, sed est accusatio, quae fit coram iudice, ut sententia aliqua ab eo feratur. De iis quae spectant ad modum huius accusationis disputabimus postea. Nunc eius iure divino necessitatem demonstramus. Oportet autem pro rei declaratione aliqua praemittere.

Quoniam de necessitate confessionis agitur, declaranda utraque res, *confessio et necessitas*. Confessio, ut quodcumque dici potest comprehendamus, tum actualis tum virtualis distinguitur. Confessio actualis est actus aliquis, quo quis peccata sua fatetur. Haec porro confessio multiplex esse potest. 1° Si quis fatetur se peccasse, nullo speciali peccato distincto, sed solum in genere: quae *confessio generalis* dici solet. Talis est quoque ille actus, quo quis vel per se vel per alium flagitat absolutionem sibi dari nempe a peccatis suis: eo ipso enim actualiter protestatur se peccasse. 2° Si quaedam, licet non omnia, quorum conscientiam habet, peccata fateatur, quae *confessio quadantenus distincta* appellatur. 3° Si quis omnia peccata, quorum conscientiam habet, quae nondum sibi sacramentaliter sunt remissa, fateatur; quae *confessio distincta* simpliciter dicitur. Iam confessio virtualis ex toto non est nisi voluntas confitendi. Confessio autem virtualis ex parte est quaedam confessio actualis sed non completa, adiunctam habens voluntatem vel praeparationem animi ad confessionem completam cum fieri possit. Sic prima potest esse virtualis prae secunda et tertia, tum secunda prae tertia. Porro notitia